

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
LEGIBVS
IRRITABILITATIS
GENERALIORIBVS

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDICAE SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS
DIE XVII. IVNII. A. R. S. C¹CCCC LXV.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLC E DEFENDET

A VCTOR

IOANNES AVGVSTVS PAKENDORF
SERVESTA-ANHALTINVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.

D. ANDREA ELLA BACHNERO
I. VENIA REGIA TUDORICIANA
I. VONNES AGATAS TUDORICIANA
LEGIBVS
IRRITABILITATIS
CENTRALIORIBVS
DILEXITATIS
CONSENSU GRATIOSI ORDINIS MEDICOVM
PLASTIDE
D. ANDREA ELLA BACHNERO
TUTORIATI TAVANIS DEDICATIS A CONSENSUS INSTITUT
D. ANDREA ELLA BACHNERO
LEGIBVS
IRRITABILITATIS
CENTRALIORIBVS
DILEXITATIS
CONSENSU GRATIOSI ORDINIS MEDICOVM
PLASTIDE



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
LEGIBVS IRRITABILITATIS
GENERALIORIBVS.

PRAEFATIO.



*Virium corporis humani cognitio nihil
certe minus rationali Medico & utilis
& necessaria est, quam Physico gene-
ralis virium corporearum scientia.
Hac enim imbutus Physicus naturae
extricat mysteria; corporum qualita-
tes, effectus, una cum legibus, quibus in agendo ob-
temperant, detegit; neque arctis huius terrarum or-
bis pomoeris satias, siderum late patentem adit pro-*

A 2

vinci-

uinciam, horum ita cursum, motus, vires & mutatio-
nes definiens, ut inde haud leuis generi humano suae fe-
licitatis emergat particula. Quanta utilitas, quanta pul-
chritudo & necessitas in his omnibus! Sed deinceps virium
corporearum notitiam, atque scientia naturalis, corruen-
te solido, cui innitebatur, fundamento, destruetur et, de-
tracto quasi sanguine suo, exsucca euadet corporique hu-
mano similis, quod, diu reconditum, satis quidem apte for-
mam saepe retinet, leuissimo autem attachu in informem
concidit massam. Num forsan Medico cognitu minus
utiles minusque necessariae sunt vires corporis humani?
Absit. Quid est enim Medicus rationalis? Nil sane nisi
Physicus corporis humani. Prout ergo uniuersales cor-
porum vires sese habent ad Physicum, ita vires corporis
humani sese habebunt ad Medicum.

Vires vero corporis humani vel ut facultates tan-
tum, vel ut viuae & agentes considerari possunt. Siue
eas hac, siue illa ratione perscruteris, opera tua laudem
merebitur. At nihil minus, exactiori instituta com-
paratione, patebit, vires, in actione constitutas, prae me-
ris facultatibus quae considerentur longe esse digniores.
Facultas enim, nisi actua fuerit, nil iuuat, & actio vi-
rium corporis humani illud ipsum est, in quo conseruan-
do, emendando, restituendo & dirigendo totus occupatur
Medi-

*Medicus. Quae autem cognitio cum sine vis, quam pen-
sitas, legibus nullatenus impetrari, nedum omnibus nu-
meris absoluta suppeditari queat: legum, quas vires cor-
poris humani sequuntur, indagationem summi hinc in
Medina usus esse intelligitur.*

*Neque etiam defuit hac in re magnorum Virorum
industria. Illustris imprimis EBERHARDVS a), cele-
berr. b. m. KRÜGERVS b), passimque alii clari Viri in
condendis virium corporis humani legibus cum laude oc-
cupati fuerunt. Minus vero cognita irritabilitatis (pal-
mariae cum sensibilitate corporis nostri potentiae) natu-
ra procul dubio effecit, ut egregii Viri illius leges vel sic-
eo pede transierint, vel paucas tantum attigerint c).
Tenebris interim, quibus haec obvolvebatur potentia,
paullulum dispersis, summa utilitas nos ad eruendas il-
lius leges excitare debet. Utinam opella haec, quam int-
uenis, rei ipsius utilitate compulsus, ad elaborandum sus-*

A 3

cepi,

a) Vid. eiusd. *Conspct. Med. theor. Part. I. pag. 15.*

b) Vid. eiusd. *Naturlehre, Ister Theil, §. 40. sqq. it. eiusd. Dissert.
med. de Lege Naturae, quod in corpore animali sensationem ex-
cipiat morus sensationi proportionatus.* Halae 1751.

c) Illustr. enim EBERHARDVS l.c. duas tantum irritabilitatis le-
ges adduxit. Clariss. quidem GERHARDVS (in *Triga Differ-
tationum physico-medicar. ss. VII. p. 15.*) tres attrulit illius le-
ges; quid vero de his sentiendum, dein constabit.

cepi, adeo digne hanc materiam pertractaret, ut felicioribus hinc ingenii calcar adderetur, cuius stimulo suscitata irritabilitatis plenius exponerent leges. In generalioribus acquiesco, quum tot sint leges irritabilitatis speciales, quod sanitates, id est infinitae.

De methodo tractandi pauca adhuc dicenda sunt. De natura & causa irritabilitatis nonnulla praemisi, non, ut difficultibus, HALLERO obiectis, me immergam, (eo enim sere supercedere possum, quum nullus, quantum memini, adeo praefractae frontis fuerit, ut ipsam negaret irritabilitatem,) sed ut, quantum in re obscura fieri potest, leges irritabilitatis rationis etiam usu dein evoluere possem. Ipsas deinceps irritabilitatis leges considerans, earum veritatem tam a posteriori, petitis a statu sano & morbo obseruationibus, quam a priori, natura & causa irritabilitatis in auxilium vocatis, demonstrare allaboravi. Ne tandem finem, cuius summam rationem habere Physiologum oportet, negligem, vtilitates harum legum ostendere suscepit. Praefatus sum B.L. A Te tuaque humanitate enixe peto, ut scriptiunculam hanc, si forsitan, quae limae tuae subiiciatur, digna a Te iudicaretur, ex viribus non Viri exercitati, sed iuuenis dimitiri velis. Vale.

§. I.



§. I.

Definitio irritabilitatis, stimuli, irritationis, irritabilitatis viuae & mortuae.



Alcohol adpersum, acria tam chemica, quam
mechanica applicata, aer cum impetu ada-
ctus, frigida, calor vehemens admotus, ele-
ctrica maxime scintilla edueta, aliaque hisce
similia, faciunt, ut fibrae musculares violen-
ta ratione contrahantur, sive nunc oscillatio-
nes plures obseruentur, sive vnica tantum contraetio ad-
pareat d). Quodsi nunc eadem ossibus, nervis, & cellulo-
losae admoueantur, nihil tunc simile obsernatur e). Sola
ergo fibra muscularis ea est corporis humani particula,
quae a contactu corporum recensitorum & a mutatio-
nibus quibusdam corporeis, ipsi illatis, cum violentia
abreuiatur f). Quare etiam vnica huius contractionis
causa

d) Perillustr. HALLERI *Elem. Physiol. corp. hum. Tom. IV. Lib. XI.*
Sect. II. ff. V. Eiusd. *Mémoir. sur la Nat. sensibl. & irrít. des*
part. du corps anim. Eiusd. *deux Mem. sur le mouvem. du sang*
&c. Conf. etiam celeberr. G A V B I I *Instit. Pathol. med. ff. 171.*
Dum violentam hanc contractionem dico, eam simul a contra-
ctione illa distinguo, quae obtinet sub rigiditate aliisque plurimi-
bus corporis humani mutationibus. Vid. GAVBIUS l. m. c. ff.
209. n. 5.

e) HALLERI *Elem. Phys. l. c. ff. VIII.*

f) Omnes enim corp. hum. fibrae ad osseam, nerueam, cellulofa-
lam & muscularam reduci possunt. Miror itaque, a clariss.
GERHARDO dici potuisse, irritabilitatem, praeter musculos,
adhuc

causa non poterit in istis corporibus, certisque eorumdem mutationibus, latere; agnoscendum potius est, in ipsa fibra musculari potestatem, sese a contactu certorum corporum & a certis illorum qualitatibus violenter abreuiandi, haerere g), quae demum cum actione rerum illarum externarum simul sumta, rationem huius contractio-nis sufficientem continebit. Hanc facultatem, *irritabilitatem, vim muscularam, vim muscularum insitam*, nominarunt; GAVBIUS vero *vim vitalem*, omni solido adscri-bendam, dixit b). Irritabilitas ad actum deducta, *irrita-bilitas viua*; non actua, *morta vocari possit*; quae au-tem irritabilitatem viuam reddunt, *stimulorum* seu *irri-tamentorum* nomine veniunt. Actio demum stimulo-rum, qua mortuam irritabilitatem viuam efficiunt, *irrita-tio* nuncupatur. Lenes hae definitiones recepto visu lo-quendi corroborantur.

§. II.

Irritabilitas ab admoto stimulo sese adhuc a morte exserit, quod frequentissimae docuerunt obseruationes i).

Est

adhuc aliis partibus tribui debere. I. c. f. 5. Non concedent cerre omnes Anatomici, in omnibus ab eo allatis partibus fi-bras musculares deesse; verum, concessio etiam hoc momento, HALLERV S nihilo minus imitandus est.

g) GAVBIUS l. c. f. 171.

b) I. c. ff. 170. 175. Conf. hic HALLERV S l. m. c. f. XI. p. 464, qui negat, illam bene vim vitalem vocari, quium a morte et iam superstes existat. Nollem ideo hanc vocem damnare. Vis enim vitalis non ea tantum est, quae cum vita perit; sed ea quoque, quae eminentiori in gradu ad vitam producendam & sustentandam concurrit, saepenumero vis vitalis nuncupa-tur. Quis vero id de irritabilitate negabit?

i) HALLERV S l. c. §. V. variisque aliis locis.

Est itaque facultas mere corporea, musculis propria illorumque fibris (§. I.). Nunc autem corporum latet essentia, quae est modus illorum compositionis. Irritabilitatis itaque caussa ex modo compositionis, musculo eiusque fibris tribuendae, repeti debet. Verum chemica experimenta, in musculis capta, docuerunt, similia elementa iisdem inesse, ac aliis corporis humani partibus *k).* Anatomia praeterea suadet, ad minimam fibram muscularum, minimum etiam nerui motricis ramum tendere *l).* Fibrae ergo muscularis modus compositionis absolvitur terreo elemento, mediante glutine cohaerente, neruique motricis minimo ramulo, ad massam, ex isto connubio subortam, abeunte. Ex tribus ergo his, apte inter se coniunctis, caussa irritabilitatis hauriatur necesse est. At qui terreae particulae, eiusdem semper in partibus corporis humani naturae, praeter diuersam, quam glutini impertinent, cohaesione, nihil efficiunt. Quam ob rem istae, habita modo glutinis ratione, dum de caussa irritabilitatis quaeritur, omitti possunt. Nerui porro motricis minimus ramus, muscularum ingrediens fibram, cum ipsem et irritabilitate destitutus sit (§. I.), sine glutinis connubio irritabilitatis caussam nulla continebit ratione *m).* Tota itaque irritabilitatis, propriae vis muscularis,

k) HALLERV. l.c. Sect. I. §. XXII.

l) IDEM l.m.c. §. XII.

m) Nervus equidem toram fibram adit, hinc, terreum quoque elementum saltim demonstrari vix potest, quod ad gluten muscularum abeat. Videri igitur posset, ac si minus recte, posthabitis terreis particulis, dictum sit, nervum sine glutine irritabilitatis caussam esse non posse. At ne mente quidem fingi potest, quid fluidum nervuum in mutanda terra calcaria conferat, ut irrita-

ris, caussa redit ad id, quod gluten fibrae muscularis sibi prae aliis fibris corporis animalis proprium vindicat. Hoc vero proprium consistit partim in cohaesione, qua se se a glutine aliarum partium distinguit, partim in eo, quod fluidum, nerui motricis ope aduectum, in illo mutando confert, quod ego vero definire nequo. *Vera idcirco irritabilitatis caussa est gluten musculare, quatenus tam determinato cohaesionis gradu, quam fluido neruoso gaudet n.*

§. III.

Differentia irritabilitatis ab omni alia vi.

Nulla alia vis, siue corporis animalis, siue aliorum corporum naturae competens, ab ea oritur caussa, a qua proficiuntur irritabilitas (§. II.). Docent id Physica & Physiologia corporis animalis satis facile, ut mihi, qui hac de re dubitant, nodum in scirpo quaerere videantur. Quoniam nunc a diuersa caussa diuersus pendet effectus: sequitur, irritabilitatem ab omni alia nobis nota vi differre. Omitto alia, quae de irritabilitatis ab aliis viribus diuersitate, ab HALLERO aliisque adseruntur momenta, non,

irritabilitatis caussa emendat. Praeterea iam docui, terram in determinanda irritabilitatis caussa omitti posse.

n) Conspirare cum his videntur observationes. Mutata enim cohaesione, mutatur irritabilitas. Ligatura etiam nerui, quamvis non statim tollat irritabilitatem, demum eandem tamen destruit, licet reliquae musculi defectiones caedem maneat. Praeterea conf. HALLERVS l. c. Sect. II. §. XII. *Per illius r. PRAESES, Disserr. de destructa partium Irritabilitate per incongruum adstringentium usum, Hal. 1763. GAYBIVS §. 187.* Ceterum lubens fateor, me modum, quo ex ista caussa irritabilitas sit, hactenus non perspicere.

non, quod falsa ea iudicem, sed quod partim nota satis
sint, partim etiam ut euoluantur, fusiorem requirant
sermonem.

§. IV.

Leyes irritabilitatis.

Irritabilitas est facultas, qua fit, ut musculus fibra-
que muscularis ab admoto stimulo contrahantur (§. I.),
hinc moueantur. Erit itaque *vis motrix*, ab aliis diuersa
(§. III.). Omnes autem vires motrices, dum agunt, se-
cundum regulas quasdam operantur, quae verbis ex-
pressæ dicuntur *leges illarum*. Non poteris ergo dubi-
tare, quin quoque irritabilitatis leges possibles sint. Ir-
ritabilitas praeterea, quum vel generatim, vel ut in indi-
viduo exsistit, considerari queat: leges etiam irritabilita-
tis tam *generaliores*, quam *specialissimae* cogitari possunt.
Late autem patens *specialissimarum* ambitus nos, ut in ge-
neralioribus subsistamus, cogit, quas itaque nunc exhibe-
bimus, ita easdem pertractando, prouti vna ex altera fluit
& promanat.

§. V.

Prima irritabilitatis lex.

Quamlibet irritationem subsequitur violenta fibrae
muscularis contractio, ita tamen, ut modo plures alter-
nae contractiones & relaxations, oscillationum instar, se-
se excipiant, sensim elanguescentes, modo unica violenta
contractio cum subsequente relaxacione adsit. Patet hu-
ius rei veritas ex observationibus HALLERI, restaurato-
ris & veri inuentoris huius corporum animalium poten-
tiae. Is enim, postquam de stimulus differuerat, adiicit o):

B 2

Solet

o) HALLERVS l.c. §. V.

Solet autem haec vis viua, contra quam in mortua illa irritabilitate sit, a stimuli cuiuscunq[ue], & acrioris impri-
nis, primo contactu sequi, sed diu ita continuari, ut in-
tegra series contractionum & relaxationum alterna se
excipiat, & diutiuscule in eodem musculo fibrae se adglo-
merent, & vicissim remittant a vicinis contactibus.
Sensim tamen elongescunt oscillationes, & quies demum
succedit. Adparet ex his verbis manifestissime, post ad-
motos stimulos violentas insequi fibrae muscularis con-
tractiones plures, eartum cuilibet respondente relaxatio-
ne. Sed pergit Vir indefessus: *Musculi canui plerique*
hactenus a reliquis musculis dissident, quod irritati per-
petua contractione in arctitudinem nitantur, absque alter-
na relaxatione. Ita in vesica urinaria se habuisse vidi.
Etiam intestina, nervo tacto, absque relaxatione alterna
contrahuntur, adeoque nec alterna relaxatio a motu mus-
culi inseparabilis est. Quum dubitari nequeat, vnicam
hanc contractionem, quae in allatis exemplis ab irritatio-
ne obseruata est, relaxationem demum excepsisse: patet,
contractionem fibrae muscularis violentam ab adacto sti-
mulo ita etiam oriri, vt vnicar sit, atque vnicam quoque
insequentem habeat relaxationem. Ostendunt eandem
veritatem obseruationes, a statu sano aequa ac morbo
corporis humani desumptae. Si motum muscularum,
gressui voluntario inservientium, consideres, concedes
facile, eum ita ab adipicato fluido neruo, tanquam sti-
mulo, contingere, vt tam contractio, quam relaxatio
semper vnicar sit p). Plurium vero oscillationum exem-
plum

p) Assumo hie, motum muscularum ab irritabilitate pendere, si-
ue nunc fluidum neruum, sive alias stimulus, v. g. acre, san-
guis, feces, &c. eandem excitent. Haec enim theoria fere ad
certi-

plum in statu sanitatis habebis, si ad palpitationem fibrarum muscularium respicias, siue eam cum ROGERO q)^o aliisque r) perpetuam, siue minus perpetuam statuas. Tetanus, eique similes effectus ostendunt, in statu morbo nonnunquam musculos corporis humani ita irritari, ut post vnicam violentam contractionem vnlca sequatur relaxatio; tremor contra ea plurium contractionum iterum, plurimumque intermediarum relaxationum, specimen sicut s). Quae vero cum ira sint, nullum est dubium, quin regula haec, quam produximus, vera sit irritabilitatis lex t).

§. VI.

certitudinem euchi potest. Nihil singitur; vires in corpore animali non augentur praeter necessitatem, atque id, quod in ea est obscurum, cum multis aliis Physicorum & Medicorum theoriis habet communē.

- q) in *Traict. de perpetua fibrarum muscularium palpitatione.* Goett. 1760. Vera videtur propositio, quamvis eius argumenta non satis communicant. Quod vero palpatio sit non nisi irritabilitatis effectus, phaenomena palpitationis cum iis, quae viuam irritabilitatem comitantur, collata, suadere possunt.
- r) Ipse HALLERVS concedere videtur, perpetuam esse, l.c. §. IV. pag. 447. *Causae est satis,* inquit, *cur omnino perpetim operari credas, et si non vides* (loquitur vero de vi, quae palpitationem efficit). Plures enim ibi consentientes Auctores adfert.
- s) Tremor ad palpitationem morbosam referri debet. Prout ergo palpatio est irritabilitatis effectus: ita & tremor.
- t) Prima lex, quam adfert GERHARDVS loc. cit. pag. 15, haec est: *Omnis pars irritabilis irritata, irritatione facta subito sece contrahit, & tamdiu in contractione remanet, quandiu applicatio irritamenti in illam agit.* Nora vero k) adiecta dicit: *Hacc contractionem non vnlca semper est, sed saepius unam irritationem plures*

§. VI.

Ratio huius legis.

Cum irritatio sit actio stimuli, qua mortua irritabilitas redditur via; irritabilitas quoque nil sit, nisi facultas musculi, qua ille & subito & violenter post stimulorum contactum brevior euadit (§. I.): mirandum minime est, quod post quamlibet irritationem violenta fibrae muscularis oriatur contraactio *u*), quam lex enunciata requirit (§. anteced.). Hanc vero relaxatio excipere debet. Nam sub qualibet musculi contractione fere innumeræ, quae resistunt, concurrunt *v*). Duæ igitur in musculo, post factam irritationem, vires agent, contrahentes nempe, a stimulus & natura muscularum (§. I.) oriundæ, & relaxantes, ab impedimentis, contractioni aduersis, subnatae, quarum nulla, nisi destruxta altera, effectum suum vere consequitur. Dum ergo contrahentes operantur, relaxantes etiam, licet mortuæ quasi, agunt

&

plures contractions & relaxations sequuntur. Si, ut lex vult, irritabilis pars ab irritatione in contractione remanet, quamdiu applicatio irritamentum in illam agit: unam irritationem vntantum insequiri potest contractio, non vero plures relaxations & contractions adesse queunt. Lex itaque prolata iis, quae not. cit. habentur, e diametro est opposita.

u) Quum caussa lateat, qua stimuli irritabilitatem excitant, profundius huius rei explicatio tradi vix potest. In hac ergo acquiescere debemus. Ceterum in explicanda haec lege tria animaduertenda sunt momenta: 1) caussa contractionis; 2) caussa relaxationis; 3) caussa alternae contractionis & relaxationis modo praesentis, modo deficientis.

v) Inertia fibrarum muscularium, cellulosa circumposita, qua ligantur, fluida in musculo contenta, &c.

& ad destruendas priores tendunt. Quodsi igitur causa contractionis aequa semper magna maneret, nulla tunc relaxatio fieri posset, quae contra ea, destructa caussae istius magnitudine, certo certius nasci debet. Patebit nunc ex his caussa, qua sit, vt contractionem, irritacionis ope productam, relaxatio demum excipiat. Contraktionis enim ista proficiscitur a stimulo (§. I.), cuius itaque si actio demum minuitur & destruatur, contractionis causa tantum decrebet, vt eandem relaxatio sequatur. Omnes vero stimuli, attentius considerati, ita sunt comparati, vt, facta irritatione, vel modo in totum, modo ex maxima sui parte destruantur *w*), vel non ita cito eneruentur *x*). Si prius: contractionem statim excipiet, vt haec tenus docui, relaxatio. Si posterius: sensim nihilo minus illius decrebet potentia, imminuta eiusdem actione quolibet temporis, per quod durat, momento *y*); hinc &

w) V. g. sanguis post factam cordis irritationem desinit esse stimulus.

x) V. g. lancinatio, sales adspersi, &c. quarum actio durat, licet irritationem efficerint. Perinde mihi hic est, siue perdurans stimuli actio a stimulo ipso, siue ab eius effectu pendeat. Vtrumque fit. Sic cultro vellicatus musculus, remoro etiam stimulo, nempe acri mechanico, brevior reddi pergit, non ob prioris stimuli actionem proprię, sed ob nouum stimulum, qui prioris existit effectus. At saluum adspersorum stimulus immediate etiam, facta irritatione, agere pergit. Minus vero sollicito hos casus separo, quod minor exinde utilitas mihi redundare videtur.

g) Alii enim horum stimulorum successive a fluidis musculi absorbentur & diluantur, v. g. sales, fluidum nerucum; alii, qui motu impresso irritant, v. g. lancinatio, resistentiis sensim min-

& tunc relaxatio a contractione oriatur necesse est. Quam ob rem iam aliud enunciatae legis momentum, causa nimirum relaxationis (§. anteced.), innotescit. Restat, ut alternae relaxationis & contractionis, modo praesentis, modo deficientis, rationem peruestigemus (§. anteced.). Cum actio irritabilitatis, quam variae oscillationes absolutuunt, manifesto ab ea illius actione recedat, quae in unica contractione & relaxatione consistit (§. anteced.); in viua autem irritabilitate consideranda nil cogitari, praeter irritabilitatem mortuam, modum stimulus applicandi, & stimulus ipsos, possit α); & haec tandem omnia ad maiorem minoremque stimuli actionem reduci possint α): sequitur, caussam alternae contractionis & relaxationis, modo praesentis, modo deficientis, in diuersa irritationis (§. I.) magnitudine quaerendam esse. Quodsi ergo I) *irritatio tam magna sit, vt fere ea tantum minor sit, quae perennantem contractionem efficit b)*, opus tunc est, ut *unica tantum & contractio & relaxatio adsit.* In hoc enim casu valde est contractio intensa, languentes itaque vires relaxantes impedire nequeunt, quo minus contractio perduret. Cum interea notum sit, musculum validissime contra-

nuuntur, vt fere tremulus chordae concitatae motus decrecit. Hinc simul patet, quod contractio tam valida, vt musculus in situ, quem sub contractione occupauerat, permaneat semper (GAVEIUS l. c. §. 512.), licet primo a stimulus oriri queat, postmodum tamen ab actione stimulus explicari non debeat. Vid. GAVEIUS l. c. §. 520.

- α) Patet id ex §. I. collato cum eo, quod stimulus actio requirit.
- α) Nam irritabilitas partis maior minorque diuersusque applicandi stimulus modus auget minuitque stimulus potentiam.
- b) Vid. not. β). Non poterit enim tunc relaxatio contingere.

contractum, debilem tandem in instanti solui & relaxari, nisi adeo vehemens contractio fuerit, ut solui nequeat c): hinc colligitur, in proposito casu vnicam contractionem quoque debere relaxationem excipere d). Quodsi porro 2) *irritatio minima sit, eandem interim contractio inse- quatur, tunc vna iterum contractio & una relaxatio ad- erit.* Contractio enim tunc a minima caussa producitur, quae itaque a viribus relaxantibus adeo facile destruitur, vt vna tantum contractio, hinc vna quoque relaxatio, prodire debeat e). Quodsi demum 3) *irritatio a stimulo proueniat, qui actuum destruitur: nullum erit dubium, quin vna tantum contractio, vnicam etiam relaxatio- nem pedissequam habens, oriri debeat.* Tunc enim vnius, non vero plurium contractionum; hincque etiam vnius, non plurium relaxationum, caussa adest f). Quodsi contra ea 4) *irritatio in medio quasi inter minimam & eam, quam n. i. diximus, gradu constituta sit; quodsi si- mulus, facta irritatione, non statim destruatur: aderunt tunc plures oscillationes, sensim elanguefcentes.* Tunc enim primo temporis momento, ob stimulum admotum, aderit contractio prima. Interim huic vires relaxantes

C con-

c) GAVBIUS loc. cit. §§. 512. 520. Nonnunquam, ut notum est, spasmi in instanti remittunt. Qui hemicerana laborant, saepe id experiuntur.

d) Exemplum habes in Tetano, variis spasmis & convulsionibus.

e) Illustrantur haec exemplis, si stimulorum, sub minima vita applicatorum, actionem consideres, quae haud raro vna cordis contractione stipatur; sive cogites, ultimam in pluribus oscillationibus contractionem a minimo stimulo prouenire.

f) Plura huius rei exempla habentur in corde, vesica, intestino recto.

contranituntur (per super.): stimuli etiam actio paullum iam minuitur (vid. not. *w.* & *y*). Succedit itaque relaxatio prima *g*). Agere interea pergit, ut assumimus, stimulus; motus relaxatorius ipse illius actionem intendit *h*). Sublato ergo iterum aequilibrio virium secunda orietur contractio, debilior quidem *i*). Stimuli tunc applicati magis adhuc immunita actio; vis relaxans, stimuli quidem actionem, ut diximus, intendens, suae tamen irritationi simul resistens (not. *i*) & eo in gradu autem, quo destruitur sensim stimulus applicatus, secundam nunc efficit relaxacionem, prima maiorem. Simili ratione subsequentes enascuntur contractiones & relaxaciones, oscillationes sensim debiliores redduntur, usque dum deum plenaria musculi redeat quies *k*).

§. VII.

Secunda irritabilitatis lex eiusque ratio.

Quamlibet irritationem sequitur motus musculi irritati, irritationi semper proportionatus. Constitut enim §. V. per experientiam, omnem irritationem excipere musculi contractionem & relaxacionem, idque rationis ductu

- g)* Non poterit equidem plenaria esse, est tamen vera relaxatio.
- h)* Nam motum efficit. Confer. quae not. *x*. a nobis dicta sunt.
- i)* Nam actio stimuli quolibet momento imminuitur (vid. not. *y*), & quod stimulum, a relaxacione oriundum, attinet, contraintem habet vim relaxantem ipsam. Ex utroque itaque stimulus mixto minor priore oritur.
- k)* Ex demonstratione haecenus suppeditata patet, me legem, §. anteced. datam, ad omnes musculos, sive caui sint, sive non, extendere. Quo minus enim hoc cum veritate fieri, nihil obstat. Exempla saltem, ad finem §. anteced. adducta, id suadere videntur.

ductu §. VI. euicimus. Quoniam nunc minime negabatur, contractionem & relaxationem inuoluere motum: hinc tam ratio, quam experientia suaderet, quamlibet irritationem sequi motum musculi irritati. Docent praeterea numeroſa HALLERI aliorumque Virorum experimenta, quae ob multitudinem iam mitto, quod motus musculi irritati eo fuerit grauior, quo potentiore stimulo vtebantur, quo maiore irritabilitate gaudebant irritatae partes, quoque maior adhibebatur in augenda stimuli actione cura; eo vero minor, quo minus, quacunque ex cauſa, haec obtinebant. Nunc magnitudini stimuli, partium irritatarum irritabilitati, & curae, quam in applicando stimulo adhibuisti, respondet irritatio (§§. I. VI.). Nullum hinc erit dubium, quin experientia suadeat, motum musculi irritati irritationi esse proportionatum. Ratio cum experientia consentit. Effectus enim verae suaे cauſae semper est proportionatus. Sed irritatio est vera motus musculi irritati cauſa (§§. m. cit.). Ergo hic illi debebit esse proportionatus 1). Status sanus corporis huma-

2) Verissima haec lex, quae adeo facile cognoscitur, difficultatis, contra eandem formandis, vix locum relinquare videtur. Confirmat eandem celeberr. GAVRIVS l. c. §. 174. *Perceptioni quidem, inquit, con/auter proportionata videtur contractio, pro minore vel maiore illius gradu & ipsa minor maiore futura.* Haec, quam dicit, perceptio nihil est, nisi id, quod irritationem nominauit, prout patet ex §. 172. collato cum suppeditata demonstratione & §. I. Lex itaque a GAVRIO enunciata, plane consentit cum ea, quam euicimus. Ne vero mihi inutilia hic obiciantur dubia, duo adhuc notari volo: 1) *Irritationem maiorem minoremque non determino ex solo stimulo, sed ex irritabilitate quoque partis modoque stimulum applicandi.* Breuiter hoc in §. notatum repeto, cum error hac in re facilis sit. Quam maxi-

humani, comparatus cum morbo, spasmis, conualis-
nibus, &c. idem docet.

§. VIII.

maxime sane errares, si concluderes: vbi acrior stimulus, ibi
quoque grauior irritatio. Nam melius ab aere inflato, quam
a spiritibus acidis, cor ad motum cierur, danturque stimuli,
qui convulsiones faciunt, hellebori exemplo, cum alia, multo
acriora, nihil efficiant simile (HALLER I. c. §. X. p. 460.). De-
bes itaque stimulus, debes irritabilitatem partis, debes mo-
dum, quo applicatur stimulus, attendere, si irritationis ma-
gnitudinem determinare velis. Recte itaque HALLERVS adfir-
mare potuit: *non verum esse, contractiones esse, vt stimu. orum*
est acrimonia (I. m. c.), atque (I. c. §. XI. p. 463.) *se in eo motu*
distinxisse stimulus, qui possit parvus esse, & motum ab eo stimu-
lo natum, qui possit esse maximus. 2) *Si magnitudinem irri-*
tationis in cau. speciali determinare velis, non nosse sufficit irri-
tationis, a stimulus generatim producendae, gradum, sed habitum
quoque individui cuiusque partis ad stimulus cognoscere opus est.
Stimuli nonnulli sanum hominem vel plane non, vel modice
afficiunt. Adplices eosdem hypochondriaco aut hystericae,
nimia irritabilitate laboranti: quanti prodibunt effectus! Nisi
ergo individuum consideraueris, magnitudinem irritationis ri-
te determinare non valebis. Haec si notentur, descriptam le-
gem ab omnibus probatum iri nullus dubito. Ceterum ex
ante dictis dijudicari poterit secunda irritabilitatis lex, quam
I. c. GERHARDVS attulit ita: *Effectus irritabilitatis causa irri-*
tante maiores sunt illamque multoties superant. Causa irri-
tans dupli sensu sumi potest. Primo nempe pro stimulus. Tunc
vera est lex. Nam motus, vt docuimus, ab agente irritante
pendentes, ideo stimulus maiores esse debent, quoniam stimulus
ille nondum rationem sufficentem irritationis continet, cui
deum effectus irritabilitatis vnicce proportionatus est. Lewis
hoc assumto sensu lex attentionem vix meretur, Dein vero
causa irritans sumi potest pro vera irritationis causa, quae
nus haec per stimulus, partis irritabilitatem modumque irri-
tamen-

ba del toriq manus §. VIII. (HV.) tenui, logoq
ni misio Tertia irritabilitatis lex eiusque ratio.

Contractio musculi, ab irritatione facta proficisciens,
multitudini fibrarum muscularium irritatarum proportionata est, ita, ut posito stimulo quodam, contractio tanto sit maior, quo plures irritantur fibrae. Fatetur id HALLERVS m), dum dicit: Non in eadem ratione vis est contractilis, & vis sentiens; illa sequitur nervorum magnitudinem & nuditatem: ita numerum fibrarum, stimulo expositarum. Citat etiam HOVSSETVM, qui diu-
turnitatem motus esse in ratione numeri fibrarum adfir-
mat. Neque iniuste credit, in hoc latere rationem, cur
scintilla electrica omni alio stimulo potentior sit, cum,
omni alio stimulo magis penetrabilis, intimas etiam fi-
bras irritet. Contentiunt etiam cum hac lege exempla,
quae status sanitatis aequa ac morbosus corporis humani
suppeditat. Paruorum muscularum contractio maio-
rum contractione minor est, spasmusque paruos muscu-
los infestans, minor est spasmo muscularum, qui illos
magnitudine excedunt. Demum ratio huic legi minime
est aduersa. Concipe enim, eandem irritationem in uno
casu fieri in sex fibris muscularibus, in alio vero in tribus
tantum: erit tunc in utroque casu contractio irritationis
C 3 pro-
portionata, et minor quam in tribus. Nam irritatio
tunc proportionata erit causae irritanti; illa ve-
ro, ut patuit, proportionata est motui; ergo hic quoque propor-
tionatus erit causae irritanti. Pulerum equidem est, virtutis
leges ex Observatoribus colligere; et caueamus, ne easdem in-
determinatas relinquamus. Intelligentes nullum hinc repor-
tant damnum, minus vero exercitari eo grauius abinde ferunt.
m) I. c. §. pag. 459. seq.

proportionata (§. VII.). Irritatio autem prior sese ad posteriorem habet, vti 6: 3. Ergo contractio etiam in priore casu ad contractionem in casu posteriore sese habebit, vti 6: 3. Omni itaque respectu corroboratur haec irritabilitatis lex n).

§. IX.

Quarta irritabilitatis lex.

Omnem irritationem grauiorem insequitur spasmus, baud vero raro adfluxus etiam humorum maior. Helleborus conuulsione facit o); purgantia, emetica drastica, corrosiva, acre scorbuticum, venereum, scabiosum, musculis illatum, spasmos vehementissimos creare solent, daturque obseruatio, quae ab iectu lanceolae conuulsionem innumerabilium muscularum, etiam in mortuo animali, & vim millena pondo subuersuram, docet excitari p). Non poteris ergo dubitare, quin grauiorem irri-

n) Hoc forsitan sensu explicari debet tertia a GERHARDO (l. cit.) assumta irritabilitatis lex, quam ita enunciauit: *Quo aequalior irritatio, eo vehementior contractio, ita quidem, ut contractio, quae irritationem aequalem sequitur, fortior sit illa, quae irritationem inaequalem, quamquam vehementiorem, excipit.* Quodsi enim candem rigorosissime explicare velis, falsissima deprehendetur. Sume exemplum. E musculo educatur scintilla electrica. Potentissima hinc, HALLERO fatente, oritur contractio. Nihilo minus, quamquam per totum muscolum reparat, inaequalis est irritatio. Atque sic in pluribus exemplis sese res habet.

o) HALLER l. c. pag. 460.

p) IDEM l. c. §. XI. pag. 463. Hinc vero simul constat, spasmos a validis irritantibus excitatos, non necessario vim sentientem praesentem requirere. Quod ideo notare placet, ne spasmorum viae sensibilitati attribuimus.

tationem spasmus insequatur. Adfluxus etiam humorum maior exoritur. Notum enim est, irritantia fortiora, musculis applicata, hos inflammare, longeque saepe maiori in gradu, quam a dolore & sensatione, simul excitatis, exspectari potuisset. Secretiones pariter atque excretiones ab irritantibus saepius insigni in gradu augentur, quod diuretica, salivantia aliaque comprobant, sine etiam dolore & sensatione agentia. Quoniam nunc neque inflammatio, neque se-& excretionum augmentum sine humorum maior adfluxu cogitari potest: grauiorem quoque irritationem adfluxus humorum maior insequi potest q.

§. X.

Ratio huius legis.

Grauior irritatio mihi dicitur ea, quae adeo est magna, ut cum ea comparari nequeat, quae in naturali corporis humani statu obtinet. Illi itaque respondere debet contractio naturali maior (§. VII.). Atqui contractio fibrae muscularis maior naturali, ab illius irritabilitate pendens, Pathologis dicitur *spasmus*. Exorta autem tam valida musculi contractione, non poterunt non vasa, perreptantia cellulosa, quae fibrarum muscularium quamlibet cingit, mutari. Imminutis enim sub contractione fibrarum muscularium interstitiis: cellulosa etiam, haec distinguens, proprius accedit necesse est. Arctantur itaque,

- ¶ Nemo non vider, hanc legem irritabilitatem cum sensibilitate communem habere. Omni ergo opera admittendum est, ne in demonstranda hac lege sensibilitatem cum irritabilitate illiusque effectus cum huius effectibus commisceamus. Quod ni fallor, in §. ipso factum est. Ceterum norma huius legis ex suppedi-
tanda §. sequ. ratione magis adhuc cognoscetur.

que, subnata compressione, vascula, per eandem disseminata. Nunc vero ex pathologicis constat, vase quodam nimium artato, pro differente caui immuniti gradu, modo repulsionem fluidorum, modo adfluxum eorundem maiorem contingere. Fieri ergo omnino potest, ut gratiorem irritationem adfluxus humorum maior sequatur.

§. XI.

Quinta irritabilitatis lex eiusque ratio.

Omnes stimuli, qui irritabilitatem excitant, videntur ad ea reduci posse, quae motum tremulum in fibra musculari concitare valent. Etenim 1) manifestis exemplis patet, eiusmodi res, quae concitant motum tremulum, vere irritare. Lancinatio, scintilla electrica, sales adspersi, id docent. 2) Alia quidem corpora obscurius id patrant, oscillationes tamen fibrarum muscularium producere videntur. Reuoco huc feces aluinias, foetum, corpora alia dura, quae stimuli vices subeunt. Lewis enim attentio docere potest, haec omnia idem facere, quod lancinatio, licet longe minore in gradu. 3) Dictum est (§§. V. VI.), irritabilitatem viuam saepe comitari motum oscillatorium. Nonne itaque hunc omne id

provo-

cosi. Ex ipsa itaque demonstratione patet, adfluxum humorum non semper adesse posse, licet semper oriatur spasmus. Non nego praeterea, hunc ab irritatione factum humorum adfluxum aliunde etiam explicari posse, e. g. a nervorum actione maiori, aut dolore grauique sensatione productis. Eiusmodi vero explicatio ad irritabilitatem propriam non pertinet. Cum demum dubia sit fibrarum muscularium in minimis arteriolis existentia: nolui in explicando phaenomeno carum irritationem attendere.

prouocabit, quod tremulum fibrarum muscularium efficit motum? Quod eam vero irritabilitatis actionem attinet, quae absque alterna contractione & relaxatione contingit (§§. V. VI.): erit haec a priore gradu tantum diuersa (§. VI.). Poterit ergo stimulus, eandem prouocans, satis congrue reduci ad id, quod motum tremulum suscitandi facultate gaudet. 4) Vis, quae palpitationem fibrarum muscularium procreat, nil est, nisi minor irritabilitatis gradus, immo ipsa irritabilitas (§. V.). Illam vero excitant, quae motum tremulum producunt, decentibus id pluribus exemplis. Haec ergo non minus irritabilitatem mortuam viuam reddent. 5) Fibra demum muscularis facillime tremit. Ipse aeris contactus nudatas fibras musculares in oscillationem rapit, quod palpitatio aucta suadet. Hoc cum ita sit, atque adeo fibra muscularis a quolibet adPLICato, motum in ea producente, tremere videatur, atque tot porro stimuli existant, non nisi tremulo concitato motu irritantes s): quam maxime sane probabile est, omnes stimulus, qui excitant irritabilitatem, ad ea reduci posse, quae motum tremulum in fibra musculari suscitare valent t). Hinc vero eruitur, *omne fluidum,*

D

s) Cum omne corpus, lenius etiam musculo applicatum, motum in eius fibris efficiat; hiac secundum nostrum assertum motum tremulum determinet; experientia vero saepe nihil eiusmodi ostendar: falsa thesis videri posset. At nimium tremorem sensus nostri deregere non valent; qui ergo adesse potest, quamvis experientia eundem non confirmet.

t) Collecta haec argumenta sumi vellem. Vni conuincendi vim non tribuo. Ceterum *videtur* dixi, quoniam lex per experientiam exactissime determinari nequit. Neque omitenda erit, cum partim, in se spectata, summe utilis sit, partim etiam propagationi irritationis euincendac inserviat.

dum, in motu tremulo constitutum, vt & id, quod tenuissimum commouetur, musculo fibraeque musculari ad�catum, stimuli munere fungi posse. Aēr enim tremens chordam tensam in tremorem abripit, & fluidum tenuissimum, valde penetrabile, versus fibram musculari commotum, eam oscillantem facile reddit. Adduxi hanc propositionem, in explicanda tam fluidi neruei actione in musculos, quam generationis theoria, summe utilem.

§. XII.

Sexta irritabilitatis lex eiusque ratio.

Stimuli, qui viuam sentiendi excitant, irritabilitatem quoque viuam reddunt, & qui huius actionem proritant, illam etiam ad agendum sollicitant. Solemnis sensibilitatis stimuli sunt: lux, aēr concitatus, acre chemicum, oleosa volatilia, multo in primis spiritu rectore imbuta, corporum adfrictus, scintilla electrica, acria mechanica, calor, frigus, corporum duriorum motus, &, quae hisce passim substitui possunt, caussae trahentes, distendentes, contorquentes, soluentes, &c. Ad haec autem possunt etiam irritabilitatis stimuli reuocari. A luce arctatur iris, & in ipsa HALLERI explicatione haec arctatio irritabilitatis est effectus *u*; aēr concitatus inflatus palpitationem & irritabilitatem excitat (§§. I. XI.); idem praestant spiriuosa & reliqua adducta, vii passim iam dictum est. Stimuli sunt irritabilitatis. Quae omnia sane concurrunt ad

u) A congestione, irritatione nervosa producta, hoc explicat. Vid. EIVS Elem. Physiolog. Tom. V. Libr. XVI. Sect. II. §. XII. Congestionem vero ab irritatione nervosa sola, musculari in auxiliū non vocata, explicare velle, impossibile est.

eam, quam adduximus, legem corroborandam v). Neque miraberis, adplicans ea, quae de stimulis sensibilitatis in Physiologia adferuntur. Sensationes enim oriuntur a tremore, in nervis fluidoque in iisdem contento subhorto w). Quicquid ergo hunc producit, stimulus erit sensibilitatis. Stimuli vero irritabilitatis eadem ratione agunt x). Debent itaque irritabilitatis & sensibilitatis stimuli conuenire.

§. XIII.

Septima irritabilitatis lex eiusque ratio.

Irritatio, non nimis parua, ab una parte ad aliam se extendet. Nam irritatis etiam paucissimis fibris, irritatur frequentissime totus musculus; stimulus, vni musculo adplicatus, horrendas animalis conuulsiones conspicendas dedit y); spasmi ab una parte ad aliam tendunt; irritato

w) Non ideo sensibilitatem & irritabilitatem eandem esse vim affirmari potest. In eo solum conueniunt, quod ad utramque, si agere debeat, tremor concurrere debeat. Neque ex nostra lege actu um colligi rite potest, excitata sensibilitate irritabilitatem quoque, & hac excitata illam quoque necessario excitari debere, licet id ob neruorum commercium facile fiat.

w) Conf. Illistr. EBERHARDI Dissert. de Actione Narcoticorum in fluidum nerueum. Hal. 1762. §. VIII.

x) Nam diversitas fibrarum neruearum & muscularium tanti haec in re non est ponderis, vt non ab eodem stimulo tremere queant. Diuersissimae fibrae a concitat aere tremunt.

y) Vid. HALLERI Scripta de Sensibil. & irrit. pluribus in locis. In Elem. Physiolog. corp. hum. Tom. IV. l. c. §. XIV. dicit: *Certum est, a fibra ad fibram irritationem propagari, atque paucis fibris a veneno stimulatione tactis, totum late intestinum contrahere: late*

ritato ventriculo, irritantur diaphragma, oesophagus, aspera arteria; bronchiis illatum corpus alienum diaphragma irritat; purgantia & emetica draistica totum saepe irritant corpus, & quae huius generis sunt vel sexcenta alia exempla, quae, cum vbiique in Observatorum scriptis reperiuntur, lubens omittit. Consentit itaque cum adducta lege experientia. Sed ratio quoque. Consideres primo, omnes fibras vnius musculi cingere cellulosa filis inter se connexis; hanc in motum cum ipsis irritatis fibris muscularibus rapi (§. X.); tractionem hinc leniorem in aliis fibris muscularibus oriri & irritationis (§. anteced.) causam; neque causa propagatae irritationis latebit 2). Cogita porro, sub grauiori irritatione modo repulsionem, modo adfluxum humorum contingere (§. X.); repulsionem fluidorum coaceruare fluida in aliis partibus, unde eorum mole aucta, nascitur irritatio (§. anteced.); adfluxum autem humorum non in parte tantum irritata, sed in vicina quoque fluidorum quantitatem augere, subnascente exin stimulo (§. anteced.) atque aliam iam huius propagationis caussam habebis. Perpende dein, stimulos irritabilitatis nervos etiam excitare posse (§. anteced.), quorum actio ob commercium, quod omnes interceder, ab uno ad alium serpere potest, tuncque in aliis musculis fibrisque muscularibus oriri stimulum (§§. XI. XII.)

demum ad vicinas aliquando partes motum in earum aliqua natura serpere, diaphragmatis in vomitu consensu offendere videatur, cuius causa irritans sit in ventriculo.

- 2) Consentit HALLERVUS l. c. Hic consensus, inquit, vel per nervos videretur obtinere, qui utriusque partis communes sunt, vel per cellulosa telam; & paullo post: inde intelligitur attracta fibra alii cuius musculi, & breviori nunc facta, per cellulosa vincula fibras vicinas & ipsas trahi, sc̄ irritari.

XII.) a): hinc tertia exinde huius propagationis caussa nunc innotescet. Attende *denum* consensum partium, quem ob officii, functionis & nexus rationem habent b): & quarta aderit caussa, quae facit, ut irritatio ab una parte ad aliam se se extenderet possit. Adeo vero multiplici fundamento haec inititur propagatio.

§. XIV.

Octaua irritabilitatis lex eiusque ratio.

Grauior irritatio excitat vim sentiendi, nisi sensorium commune in eiusmodi fuerit statu, ut sensatio oriri nequeat; grauior quoque sensatio fuscitat irritabilitatem, nisi haec destruxta sit. Electrica scintilla, e musculo educata, dolorem creat; sales alieni, delati ad musculos, sensationem excitant; bilis, ventriculo inhaerens, non vomitum, non singultum tantum, sed dolorem quoque arcessit; foetus, in utero parturientis delitescens, irritat non solum, sed dolorem etiam efficit. Grauiorem itaque, monstrante id experientia, irritationem excipit haec tenus sensatio aucta. Nihilo minus horrendae saepe convulsiones, a grauiori procul dubio enatae irritationem, sine dolore, sine sensatione aucta obseruantur. Cum vero tunc, ut in pathologicis evincitur, commune sensorium ita est adfatum, ut mutationes corporeas cum anima communicare nequeat: sequitur, in eo denum casu grauiorem irritationem excitare vim sentiendi, quando sensorium commune in eiusmodi est statu, ut sensatio in anima oriri queat. Aequo vero certe per experientiam constat, sensa-

D 3

tionem

a) *Illust. EBERHARDI* Diss. cfr. I. c.

b) Diaphragma, aspera arteria, oesophagus, ventriculus, musculi abdominales, intestina &c. exemplo esse possunt. Vid. etiam *REGNE Tr. de Sympathia.*

tionem grauiorem, subitam, musculos in motum rapere. Lux magna, subito retinam feriens, conuelliit. Dolores summi, vermes rodentes, aliaque eius generis plura, conuulsionum & epilepsiae exstiterunt caussae grauissimae. A grauiore itaque sensatione excitatur irritabilitas, quae vero destruēta excitari omnino non posset. Ratio huius legis non facile latere poterit. Grauior irritatio efficit contractionem fibrae muscularis cuiuslibet grauiorem (§§. VII. XI. X.), hinc magnam nerui motorii tractionem, quae sensationis caussa existit. Sub graui autem sensatione magnopere adficiuntur nerui sensorii, qui, cum commercium cum motoriis alunt, acceptam suam intensiōrem mutationem his quoque inferunt, tamquam potentiae muscularis stimulum (§. XI.). Cur vero limitatio huic legi addita sit? adeo facile perspicitur, ut caussam addere superuacaneum ducam.

§. XV.

Nona irritabilitatis lex.

Dissert irritabilitas, siue diuersarum unius corporis partium irritabilium rationem habeas, siue diuersa subiecta attendas. Prius varia comprobant, quae passim adnotauit HALLERV. Vnicum testimonium attulisse sufficit. *Gradus etiam aliquos, inquit e), in ea potestate incepit definire, ut inter musculos cor cum suis auriculis potentissime irritabile esset, deinde intestina sequi viderentur, reliqui musculi plerumque prius quiescerent, quam aut cor, aut intestina.* In diaphragmate super reliquos musculos aliquam praerogatiuum esse, sum suspicatus. Quod vero posterius attinet: vel leuior attentio eius veritatem docet. Si sanitatem respicias: differentiam in tempe-

c) *Element. Physiol.* I. c. §. XI.

temperamentis, sexū, aetatibus, hominibus varia consuetudine gaudentibus, debilibus & robustis deprehendes. Maior est in temperamento sanguineo, temperamento cholericō, sexu sequiori, aetate infantili & puerili, stimulis quibusdam nondum adsuetis; minor vero in iis subiectis, quae his opponuntur. Debole illud & robustum naturale variam habet ad irritabilitatis gradum rationem. Si nimium excedant: minuant irritabilitatem, exemplo phlegmaticorum, melancholicorum, embryonis d); si vero minus excedant: augent, exemplo cholericorum, sanguineorum, seminarum, infantum. Status morbosus, aequē ac sanus, hanc differentiam confirmat. Cum studio lege & ad morbos refer, quae GAVBIUS maioris & minoris irritabilitatis morbosae attulit momenta e), meque vberiore exemplorum hanc rem confirmantium recensio-
ne supersedere congrue posse, facile omnino concedes.

§. XVI.

Ratio buius legis.

Effe^tus cuiusdam diuersitas pender a caussae determinantis diuersitate. Nunc caussa irritabilitatis latet in commixtione fluidi neruei cum glutine musculari, huiusque cohaesione determinata (§. II.). Diversitatis itaque illius, quam experientia docet, ratio, in glutinis muscularis fluidique neruei differenti ratione quaerenda erit. Caussa itaque differentis in uno eodemque corpore partium irritabilitatis duplex erit: 1) *Diversitas glutinis.* Quamuis enim gluten muscularare generatim in eo contineat, quod irritabilitatis capax sit; circa idem tamen il-

lud

d) HALLER I. m. §. XII. Intestina pulli ante sedecimum diem non dum sunt irritabilia.

e) I. c. §§. 194. 198.

Iud. differentiam quandam intercedere, diuersa docet musculorum cohaesio. 2) *Copia fluidi neruei diuersa.* Notum est ex Anatomia, ad musculos modo plures, modo pauciores, modo insigniores, modo minores tendere nervos. Nonne itaque in iisdem, inter se collatis, differens erit fluidi neruei adacti copia? In determinanda autem ea irritabilitatis differentia, quae inter diuersa deprehenditur subiecta (§. anteced.), non solum diuersam glutinis cohaesionem nerueique fluidi differentem copiam, sed huius quoque absimilem naturam & motum attendere debemus. Haec enim omnia in statu fano & morbo differe, Physiologia & Pathologia commonstrant. Cum vero ex his diuersa glutinis & fluidi neruei ratio ad irritabilitatem profluat: haec eriam inde diuersa reddi debet f). Licetne vero hic ad specialiora progredi & rationem reddere maioris minorisque diuersorum subiectorum irritabilitatis? Certe, qui dicta ad §. II. & §. XI. applicat, haud multum laboris in hoc negotio inueniet. *Cur debile illud & robustum naturale minuit, si excedat, irritabilitatem* (§. anteced.)? Gluten vel nimis laxe, vel nimum quantum cohaerens, non facile motum tremulum recipit (§. XI.); erit itaque tunc fortiore stimulo opus, ut excitetur irritabilitas viua. *Cur idem, non ita excedens, auget hanc potentiam?* Abripitur facilius in motum tremulum (§. XI.). *Cur sanguinei & cholericici maiore gau-*
dient

f) In uno eodemque subiecto natura & motus fluidi neruci generatim idem est. At in variis subiectis vtrumque vna cum copia differt. Factum hinc est, vt, in indaganda varii irritabilitatis gradus in diuersis subiectis caussa, ad naturam, motum & copiam fluidi neruei attenderem; ad solam vero variam fluidi neruei copiam respicerem, dum caussa diuersae variarum partium irritabilitatis suppeditanda erat.

dent irritabilitate (§. anteced.)? Insignis boni fluidi neruei copia secernitur in iisdem; rapidius etiam mouetur; cohaesione demum haec subiecta gaudent neque magna nimis, neque nimis parua (§§. II. XI.). Cur melancholici contra ea & phlegmatici minorem nocti sunt irritabilitatem (§. anteced.)? Contraria in iisdem obtinent. Pauca haec exempla, ad reliqua §. anteced. adducta si referas, horum etiam rationem facile deteges. Ne igitur laterem lauem, haec omitto. Magnam interim idiosyncrasiae partem explicare possemus, si specialissimorum subiectorum irritabilitatis gradum stimulorumque ad eum habitum determinare valeremus g).

§. XVII.

Decima irritabilitatis lex eiusque ratio.

Stimuli, ad varias unius corporis partes atque variis homines relati, non unam semper eandemque habent rationem. Dantur enim stimuli, qui unam partem irritant, aliam vero non; dantur, qui unam leuius, aliam potentissime stimulant. Videtur etiam, inquit HALLERVS b), alias corporis partes aliter ab iisdem stimulis adfici. Ita vesica acrem urinam tolerat, iniectam tepidam minus commode fert. Ventriculus antimonio ad vomitum cieatur, quo oculi non irritantur. Bilis modice irritat intestina, grauius cor, quod motus febriles febrisque ipsa typica, a reforpta ea prouocata, docere videntur. Practica etiam obseruata consentiunt. Quem enim fugit, medicamenta irritantia modo in has, modo in illas tantum agere partes?

E. Con-

g) Pulcre certe irritabilitate simili utimur, quando caussa temperamentorum & idiosyncrasiae euolui debet. Plurima sane phaenomena, quae alias recte non explicabis, hinc deriuare poteris.

b) l. c. §. XII. pag. 466.

Constat ergo hinc, stimulos, ad diuersas partes irritabiles relatios, non vnam semper eandemque ostendere rationem. Idem vero de iisdem valet, quando eorundem ad diuersos homines respectum consideramus. Quod phlegmaticus, quod melancholicus, quod adsuetus largius sine noxa haurit spirituosum, volatile, massamque sanguinis rarefaciens medicamentum, id sanguineus, cholericus, minus adsuetus, sine detimento non perfert. Vides, a rebus suaueolentibus subiecta spasmis adsici, quas alia facile ferunt. Quem hysteriarum exempla fugiunt? Quis ignorat idiosyncrasiae mirabiles motus? Quis practica obleruata nescit, quae summos motus a remedio minime nociuo productos esse testantur? Erit itaque stimulorum ad varios homines varia saepe ratio. Si consideraueris, partes non solum irritabiles, sed & homines, quod irritabilitatem attinet, esse diuersos (§§. XV. XVI.); si etiam perpendes, stimulos modo facilis, modo difficilis musculos ingredi & penetrare *i*), idque pro differentia aut stimuli, aut cohaesiones fibrarum muscularium; si demum cogites, diuersam abinde oriri stimulorum rationem: causam huius phaenomeni, quod lex docuit, satis cognosces *k*).

§. XVIII.

Vndeclima irritabilitatis lex eiusque ratio.

Subiectum, quo magis est sensibile, eo magis etiam est irritabile; quo vero minus sensibile exsistit, eo minus quo-

que
a) *HALLERV^s l. m. c. Multum hic diuersa tegmina possunt, quae ab aliis aliquae corporibus facilius penetrantur.*

b) *Conf. etiam HALLERV^s l. cit. ff. XII. pag. cit. Ceterum hinc constare potest, quam multum illi errent, qui paucissimis experimentis, in animalibus captis, parvum irritabilitatem determinare admittuntur.*

que irritabile deprehenditur. Sanguinei, choleric, infantes & pueri, feminae prae aliis subiectis maiori irritabilitate gaudere obseruantur (§§. XV. XVI.). Constat vero etiam, iisdem maiorem competere sensibilitatem. Cum robore & debilitate naturali modo crescit, modo decrescit irritabilitas (§§. XV. XVI.). De sensilitate idem dicendum. Crescit in hysteris & hypochondriacis irritabilitas, sed crescit quoque in iisdem sensilitas. Hydropicus minus est irritabilis; sed imminuitur etiam eius sensilitas. Ex his ergo pluribusque aliis exemplis, quae adferri possent, si opus fuerit, lex prolat a posteriore intelligitur. Ratio cum ea non minus conuenit. Quodsi enim subiecti maior fuerit sensilitas: fibrae nerueae non solum faciliter trement, sed magna etiam boni fluidi neruei copia, facile commouenda, elaborari debet. Prius faciliorem etiam fibrae muscularis tremorem esse docet; posterius autem causam irritabilitatis melius ad hanc potentiam determinandam consentire suadet (§. II.). Ex aucta aut immunita sensilitate recte ergo ad auctam vel imminutam colligimus irritabilitatem (§§. II. XI. XVI.). Quodsi vero subiecti maior fuerit irritabilitas: fibrae musculares faciliter tremunt & neruorum fluidum copia, natura, motu perfectioribus gaudet (§. XVI.). Cum his autem crescere etiam debet sensilitas (per princip. physiol.). Hinc cum ratione ab illius vel augmento, vel decremento, ad huius quoque in subiecto quodam augmentum aut decrementum concludere valemus. Legis ergo veritas constat *¶*.

§. XIX.

¶ Causa vero existimes, irritabilitatem & sensilitatem hinc unam tandemque esse vim, nomine tantum diuersam. Non solum enim suppeditata demonstratio contra hoc assertum pugnat; sed notum etiam est, irritabilitatem in parte quadam destrui posse,

§. XIX.

Duodecima irritabilitatis lex eiusque ratio.

Irritabilitas unius eiusdemque subjecti partis tam augeri, quam minui potest, idque dicendum etiam est de stimulorum actione. Obesitas, adstrictio, aquosum exsuperans, emollitio, debilitas excedens, mucusum, opium, nimia distensio, irritabilitatem passimque stimulorum actionem minuant *m).* Hinc potentia haec a morte tandem perit *n).* Alimenta contra ea, robur vitae, certus firmatus gradus, calor, fluidorum vehementior motus, cohaesio, nimio neque excessu, neque defectu peccans, hinc morbi etiam varii, gradum irritabilitatis augent *o),* cumque hoc stimulorum actionem (*§. VII.*). Ratio horum phaenomenorum in propatulo est. Praedicta enim cohaesio nem vel nimum aut augent, aut minuant, vel ita adficiunt, ut neque excedere, neque deficere queat. Priora iraque minuent, posteriora augebunt irritabilitatis gradum huicque conformem stimulorum actionem (*§§. VII. XV. XVI.*). Accedit, ab iisdem integrum fluidum neruei naturam & actionem modo deprauari, modo firmari & adiuuari *p).* Quid ergo mirandum, quod illa minuant, haec

vero
posse, licet sensilitas maneat, & v.v. Quod impossibile fore, si dictae vires conuenient.

m) HALLERVS l. c. §. XII. pag. 465. Conf. etiam Perilliusr. PRAESIDIS Dissert. cit. GAVEIUS l. c. §. 198.

n) A frigore enim, adstringenti remedio substituendo, rigescunt partes. Praeterea fluidum nerueum non restituitur.

o) HALLERVS l. m. c. GAVBIUS l. c. §. 194.

p) Nam relaxantia nimum & adstringentia fluidi neruei copiam, naturam, motum, integra esse non sinunt. Instum robur praeparat optimam lympham. Adiuuat hinc etiam fluidi neruei actionem. Opium minuit non minus fluidi neruei actionem.

Conf.

vero augeant irritabilitatis gradum stimulorumque actionem (§. XVI.)?

§. XX.

Transitus ad pertractandas descriptarum legum utilitates.

Exposui, quas communicandas constitueram, irritabilitatis leges. Quid mihi hac in re sumere possim? ex allatis perspicere potest. Non iacto me inuentorem. Non memini tamen, me leges IV. V. VI. VII. VIII. generales legisse. Plurimas longe, ut arbitror, exactius restrinxii; addidi legibus earum rationes, ab aliis vel plane omissas, vel insufficenter allatas, ut leges hinc ipsae maiorem nanciscantur lucem *q*); caussa demum irritabilitatis, a nemine, quantum recordor, descripta §. II. ratione exposita est. Haec, non plura mihi sumo. **H A L L E R V M** in primis fecutus sum, minus illius aduersarios. Mecum enim reputans **HALLERI** summam a nemine negatam in persecutandis partibus corporum animalium diligentiam; numerosa in diuersis animalibus capta experientia; candorem verique amorem toties comprobatum; leges tandem, quas sibimet ipsi in faciendis experimentis posuerat *r*); omnia, quae ad fide dignum Observatorium requiruntur momenta, aptitudinem nempe, voluntatem & curam, in eo me detexisse arbitratus sum. Atque quid quoquo iustum hoc ratiocinium magis confirmat,

E 3

quam

- Conf. *Illustr. EBERHARDI* Dissert. cit. Destruit itaque ex parte vere cordis irritabilitatem. Cum vero stimulum, sanguinem nempe concitando, auger (conf. *TRALLE* in *Tr. de Opio*); sit inde, ut actio cordis, imminuta licet illius irritabilitate, intendatur.
- q*) Exemplo legis primae, qua docui, musculos cauos neque solos, neque semper tantum contrahiri.
- r*) Vid. Praefationem, quam praemisit suis de Sensibilitate & irritabilitate experimentis.

quam Virorum, cum HALLERO antea non facientium, nunc consentientium, numerus? Cur HALLERO, videns aliorum, a partium studio remotorum, experimenta cum HALLERIANIS toties consentire, quoties cum cura suscipiuntur, meam derogarem fidem? Ex altera parte inueni aduersariorum HALLERI straminea ratiocinia, pauca experimenta, saepe minori cum cura facta, ineptam litigandi cupiditatem malignumque dissentendi pruritum. Num hisce, relictis HALLERI partibus, erat sequendum? Non credo. Securus itaque descriptas leges verissimas iudico. Non audeo interim affirmare, me omnes irritabilitatis leges generaliores proculisse; grauiissimas adduxisse arbitror. In describen lis equidem hisce legibus ad tria illa, quae in indaganda irritabilitate vñquam cogitari possunt, momenta, irritabilitatem scilicet mortuam, viuam & stimulum, attentus fu; cum interea irritabilitatis natura multum forsitan adhuc lateat, omnes me eius leges dedisse tutto adfirmari nequit. Allatae vero ad explicanda irritabilitatis phaenomena sufficiunt. Omissas aliis determinandas relinquo; caueas modo, ne legem, immediate ex expeditatis profluentem, pro noua vendites. Centum sine villo fere labore adferre potuissim leges, si ex qualibet lege promanantes alias leges calamo describere voluissim. Nolui vero in lectoris ingenium adeo iniurius esse. Iam vero, his praemissis, ad *vtilitates* descriptarum legum transcendendum est, ne finis earundem omittatur.

§. XXI.

Vsus enumeratarum legum.

Vt omnia, quae a coelo sunt demissa, ob praestandum vtilitatem creata sunt; ita & id, quod dicimus, corpus humanum. Summa vero vtilitas, summa illius pulcritu-

critudo, in sui ipsius conseruatione, quam molitur, posita est. Nihil enim pulcrius, nihil praestantius in mundo corporeo machina se ipsam conseruante cogitari potest. Hunc vero vium perficit, tam vitam sanitatemque suam immediate conseruando, quam morbos eorumque caussas arcendo. Conseruat vitam actione cordis, vasorum & pulmonum; sustentat sanitatem proportionata fluidarum & solidarum actione & rectione, seu aequilibrio virium suarum; arect demum morbos eorumque caussas, vi nutriente, assimilante, repellente & excernente. Haec ad leges superius stabilitas applicata, earum vium & finem ostendunt.

Irritationem sequi contractionem, prima vult lex (§. V.). Quantae hinc vtilitates? Inde cordis euacuatio, circulus sanguinis, respiratio, digestio, chylificatio, se- & excretio congrua, quae corpus iam penetrarunt, molimina naturae humanae salutaria, & sexcenta alia, hinc facile diiudicanda, nascuntur. Et quid dicam de saluberrimo vtilissimoque muscularum motu, qui totus huic innititur legi.

Contractionem autem irritationi proportionatam esse, legge secunda praecipitur (§. VII.). Deme hoc: atque maxima prioris legis vtilitas peribit; leuiores stimuli & irritationes summam contractionem, fortiores minorem efficient. Hinc ergo neque vita conseruari, neque sanitas foueri, neque morbi repellendi possent.

Contractio muscularum multititudini fibrarum muscularium irritatarum proportionata est (§. VIII.). Pone contrarium: non posset sane congruus partium motus muscularum ope persagi, totaque legis secundae destrueretur vtilitas.

Ab irritatione grauiore oritur spasmus, atque haud raro maior fluidorum adfluxus (§. IX.). Spasmus stimulum inimicum adesse nos monet; non infrequenter caussam suam aliisque morbi repellit, euacuat, mutat & praeparat. Adfluxus hu-

morum maior non raro stimulum diluit & ad faciliorem excretionem praeparat; accedit nonnunquam saluberrimam febrem; saepe euacuationem facilitat & ab vsu medicamentorum frequenter cum summa aegri oritur vtilitate. Vterque effectus quidem saepe obseruatur detrimentosus. Utilem tamen nihil minus esse, mihi ostendisse sufficit.

Stimuli omnes motum tremulum producendo agunt (§. XI.). Vtile hoc est, quod sic oritur, commercium sensibilitatem inter & irritabilitatem, quo sine summa noxa corpus humum carere nequit. Vnde sextae etiam (§. XII.), octauae (§. XIV.) & vndecimae (§. XVIII.) legis vtilitas intelligi potest. Non nimis leuis irritatio sepe propagat (§. XIII.). Hinc partes in consensum trahuntur, vt vita sanitasque iunctis viribus eo facilius conseruari, morborum vero noxae eo validius tolli queant.

Differit irritabilitas tam in variis paribus, quam in diuersis subiectis (§. XV.). Non omnes enim partes irritabiles vnam eandemque actionem eiusdem semper gradus, nobilitatis & diuturnitatis exserunt; neque omnes homines vnam eandemque habent sanitatem, sed maxime diuersam. Vnde etiam vtilitas diuersae stimulorum actionis (§. XVII.) patet & diudiari poterit.

Potest demum irritabilitas, vna cum stimulorum actione, tam minui, quam augeri (§. XIX.). Quam miseri essemus, nisi lex haec verissima foret! Quam multi exsisterent morbi, quos ars non posset curare medica! Quomodo vitae diuturnitas impetrari posset, nisi consuetudo stimulorum extraneorum ferociam leniret? Quid foret adultus, si eodem, quo infans gauderet irritabilitatis gradu? Ut de eo nil dicam, quod sine hac propria cuiuslibet hominis sanitas abesse debeat.

Breuiter sic de irritabilitatis legum vtilitate etiam & fine differui, omnibusque hinc, quae promiseram in Praefat. satisfeci.


T A N T V M.



00 A 6328



Retro ✓



7

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
**LEGIBVS
IRRITABILITATIS
GENERALIORIBVS**

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDICAЕ SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPLEIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS
DIE XVII. IVNII, A. R. S. CIOICCC LXV.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVLICE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES AVGVSTVS PAKENDORF
SERVESTA-ANHALTINVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.